



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

Strunck, Michael

Neuhusii, 1715

Ss. Martyres Ebbeckestorpienses, Duce S. Brunone cum multis Comitibus
Westphaliae & Ostphaliae

urn:nbn:de:hbz:466:1-28481

nem Herisiensem liceret condere, ubi ipsa cum aliis ejusdem propositi Domicellis castitatem suam Deo consecraret, & vitam in omni sanctitate ac virtutum studio traducere posset. Multis denique pro Ecclesia & republica Christiana perfunctus laboribus ad metam æternæ beatitudinis in cœlo pertigit die 2da Maji anno 886.

Ss. Martyres Ebbekeftorpienses,

S. THEODORICUS Episc. Mindensis,
 S. MARQUARDUS Episc. Hildesienfis,
 S. BRUNO Dux Westphaliæ & Ostphaliæ
 aliq; Westphaliæ Comites, militiæ Præfecti, & Milites.

Referuntur cum titulo Ss. Martyrum ad diem Adam Februarii à Bollandò to. 1. Febr. Ferrario in Catalogo generali Ss. Crantziol. 2. Metrop. c. 3. Gelenio in Fastis Agrippin. sacris. Schaten to. 1. Annal. Paderb. pag. 186, aliisq; pluribus. Addit Gelen. loc. cit. tot fuisse horum Martyræ, ut in tumulos congesta corpora insignes representarent colles. Inter hos duo Episcopi Theodoricus Mindensis & Marquardus Hildesienfis. Plures Comites: videlicet Wigman-

nus, Gericus, Liutolfus, Folcwardus, Aua-
 nus, Liutharius, duo Theodorici, & tres Bar-
 dones. *Multi Satellites seu militia Praefecti*
 Aderamus, Alfuinus, Addasta, Aida, Dudo
 Bodo, Walo, Halilfus, Hunilduinus, Adulwi-
 nus, Werinhartus, Thiodrichus, Hilwartus
 &c. qui tamen non omnes fuere Westphali. *Ad-*
dunt alii Gosbertum Episc. Osnabrug. Erlu-
fum Episc. Ferdensem, Dodonem Episc.
Monasteriensem, & Luthardum Episc. Pa-
derborn. Sed de duobus saltem postremis vide-
tur esse error, uti praeter alios arbitratur Bollandus
loc. cit. Caput & antesignanus omnium fuit
 Bruno Westphalia Ostphaliaq; Dux, & urbis
 Brunsvicensis conditor, cujus originem ex stirpe
 Widekindea ita deducit Crantzius l. 2. Metropol.
 c. 3. ubi inquit: ex Widekindo Wicbertus
 ex illo Walbertus, inde Ludolphus sunt pro-
 geniti: ex Ludolpho Bruno, Tanquardus
 & Otto nascuntur: hujus Brunonis nomen
 refert, & diu servat fundata inclyta ab eo
 civitas Brunswicensis quasi Brunonis vicus. *Al-*
ii tamen ejus prosapiam trahere malunt non ad
ipso Widekindo, sed à Brunone S. Widekindi fratre
 & arcis [a] Brunsbergensis in Westphalia con-
 ditore

[a] Bransberga vetus arx, nunc omnino diruta
 non procul à Corbeia, de qua Monum. Paderb. pag. 124

ditore, quem *Monumenta Paderbornensia* pag. 124. & *Fabricius* l. 2. *originum Saxonie*. scribunt mortuum anno 790, & sepultum Paderbornæ. De patre S. Brunonis Martyris certum est eum fuisse Ludolphum primum Ducem Saxonie ultra Vissurgim, utpote, qui teste *Fabricio*, Saxoniam Orientalem sive Ostphaliam a vito Westphalie principatui primus adjecit. Ex hoc parente fratres habuit duos Tancquardum & Ottonem; sorores quatuor, Luitgardem, Hathumodam, Gerbergam, & Christinam, quarum prima nupta fuit Ludovico 2do Regi Germanie: alie verò tres Sanctimoniales, & successivè Abbatissæ Monasterii Gandersheimensis à Ludolpho Patre exstructi. Ceterorum Martyrum origines sunt incognitæ. Passi sunt 2dâ Februarii & à Nortmannis sive Danis idolatris interfecti, anno, ut quidam volunt 877, alii 879, verisimiliùs 880, quemadmodum præter *Schatenum* to. 1 *Annal. Paderb.* pag. 185. affirmat *Bollandus* to. 1 *Februar.* pag. 310. n. 4. probatq; ex *Annalibus Fuldensibus Francorum* à Chesneo editis. Locus acceptæ cladis fuit Ebbekesdorpium, postea insigni Virginum Benedictinarum cœnobia celebre: alii vocant Ebsdorff, Oppidum Ducatus Luneburgici inter urbem Luneburgum & Vltzenam situm.

Nondum Sæculi totius spatium à Widekindo

kindo & Saxonibus ad Christum conver-
 fluxerat, cum res Catholica per Ostphaliam
 ac regiones alias plurimum lacerari coepta
 à Nortmannis sive Danis, qui furore idola-
 trico ex ultimis adhuc Ethnici Septentrionis
 finibus elapsi, in has sese terras infundebant.
 Opposuit his primum sese Ludolphus ex Wi-
 dekindea cognatione S. Brunonis genitor, &
 ingentis animi pro Deo miles; junctis
 Westphalorum & Ostphalorum copiis (Ost-
 phaliam enim avito Westphaliæ Principatu
 primus adjecerat) ita hostium Barbarorum
 obtrivit colla, ut eo superstite nullam amplius
 Germaniæ provinciam ausi sint atrectare.
 Repullulavit tamen hic hostium infidelium
 furor Ludolpho mortuo; iterumq; transmissis
 so Albi Ostphaliam infestârunt anno Christi
 880, rati forsitan Brunonis filii juventutem
 facilius incursum suum infringendam esse, quam
 exercitati senisq; patris maturum robur. Nec
 defuit ex adversa parte intrepida S. Bruno-
 nis virtus, certa vel suum sanguinem pro Chris-
 sto fundere, vel inimicas Nortmannorum
 phalanges infracto animo proculcare. Con-
 scriptus ex universa Westphalia Ostphaliâq;
 numerosus exercitus, ad quem pro defen-
 denda religionis in columitate utriusque na-
 tionis

tionis præcipui Comites nobilésq; confluxê-
re. Bellum ab omnibus tantò flagrantius in-
staurari cœptum, quòd contra juratos fidei
Christianæ hostes gerendum esset; ideòq; &
Episcopi quidam huic agmini se conjunxêre,
non tam bellatores futuri, quàm Sacerdotes
& rerum Divinarum Præsides. Conflictum
est ad Ebbekesdorpium in Ducatu Lunebur-
gico die 2do Februarii, qui Virgini purificatæ
sacer est, stetitq; diu tam anceps pugna, ut
nemo sciret, quam in partem victrices lauri
se tandem inclinaturæ essent. Postremò ta-
men Christianorum acies circumventa &
compulsa in paludes gelu rigidas; quæ ubi
pondere armorum & armatorum pressæ tan-
dem confedissent, hæsit solutâ glacie immer-
sus, itaq; abruptus à se miles, ut vix emergen-
di, nedum pugnandi facultas esset. Secuta
mox ingens ac funesta strages Catholici no-
minis, præterq; innumeros in servitutem ab-
ductos alii post alios nullo ordinis aut ætatis
discrimine in odium fidei trucidati sunt. Cæ-
sus Dux ipse Bruno; duo ad minimum Epi-
scopi Theodoricus Mindensis, & Marquar-
dus Hildesienfis; Comites deinde plurimi &
aliorũ inferioris notæ turba promiscua. Cul-
tum ac venerationem publicam jam inde ab

antiquis temporibus consecuti sunt, & in numero Martyrum Sanctorum habiti, quippe quos non alia moriendi causa è vivis expulit, quàm fidei ac religionis contra idolatras tuendæ zelus. Eorum corpora, cùm ad tempus aliquod sine armis ac vestibus inhumata jacuissent, prisca Majorum pietas in unum cumulum tumulumq; collegit, iisdemq; insigne Virginum Ordinis S. Benedicti cœnobii superstruxit. Locus denique, ubi beati cineres conquiescunt, ab eventuum prodigiolorum multitudine plurimùm illustris fuit usque ad Lutheri tempora. Præterquam enim, quòd oleum miraculosum ex ossibus Beatorum frequenter fluxerit, puella toto corpore paralytica illuc advecta sanitatem retulit: Monialis aliqua gramine de tumulis eorum decerpto & in aures misso clariùs audit: Parochus edito ad eos colendos voto febrim quartanam pepulit: puerpera inter difficilimos partûs dolores jam jam moritura oblatis ad eorum sepulchra aliquot denariis filii enixa est: civis denique aut Oppidanus aliquis perceptâ jam sacrâ unctione ad extrema fata deductus, simul atque precandi causâ suâ illuc misisset conjugem, momento temporis ita confirmatus est à sua ægitudine, ut die

tertia

tertia ad agriculturam regredi, & glebam exercere visus sit. Plura ejusmodi vide apud Papebrochium in actis Ss. ad diem 2dam Februarii.

S. MATHILDIS

Regina Germaniæ.

Refertur cum titulo Sanctæ in Martyrol. Romano germanicè edito ad diem 14. Martii his verbis: Zu Halberstatt in Teutschland die Entschlaffung der heiligen Königin Mathildis des Kaysers Ottonis des Ersten Mutter: war in Demuth und Gedult fürtrefflich. Item ab Harao & Leuchtio in vitis Ss., Wione & Menardo in Martyrol. Benedictinis. Cum titulo Beata in Martyrol. Romano latino ad eandem diem, Papebrochio in Actis Ss. to. 2 Martii. Canisio in Martyrol. germanica. Schaten to. 1. Annal. Paderb. &c. Agunt de eadem Gelen. in fastis Agrippin. Molanus in addition. ad Vsuardum. Dithmarus l. 1 & 2. Widichindus Corbeiensis l. 3. Annal. &c. Westphalam esse testatur Papebrochius loc. cit. in Commentario prævio ad ejus vitam §. 1. n. 1. ubi sic habet: Mathildis parentes & majores usque ad ejus atavum Wittichindum vixerunt in regione inferiore Saxonix cis Visurgim, quam nunc Westphalam appellamus:

O 5

ubi